Numerus 5 - Anni II
:: :: Maius 1925 :: ::
Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B.M.V.
OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

De confoederationibus Congregationum B. M. V.

Iam ab initiis Congregationis Marianae non erat alienum foedus quoddam inire inter Sodalitates, tam ad communionem precum stabiliendam, quam ad mutuum auxilium sibi ferendum aedificationis certe et consiliorum in unum collatorum. Literis huc illuc missis, Congregationes antiquae, quidquid boni alter coetus effecit, alteri ad sanctam animorum unionem fovendam atque ad imitandum, si placeret, perscribebant.

Hodie inter associationes in idem conamen incumbentes latissime mos invaluit foederibus pactis vim singularum augendi. Id Congregationibus quoque Marianis prodesse vel Patris Wernz Regulis evincitur. Ita enim Regula 68 effert: « *Iuvat etiam ad maiorem Dei gloriam et Beatissimae Matris nostrae honorem, ut, ubi fieri potest, Sodalitates tum eiusdem classis tum eiusdem regionis confoederationem inter se constituant permanentem, Consilio quodam communi constituto* ».

*
* *

Utilitas eiusmodi confoederationis multa est et varia:

1. Foventur iis *amor et sensus unionis* inter Congregationes Sodalesque plurimos, atque Congregationis aestimatio. Apparet enim inde Congregatio tanquam agmen magnum et bene ordinatum.

2. *Unitas quaedam concipiendi* Congregationem promovetur, atque *usus* quidam (e. g. sollemnis admissionis, signorum, diplomatum) generaliores redduntur; ita ut si quae Congregatio fervore aut ordine careat, a ceteris magis accendatur et ad rite procedendum adigatur.

3. In *mutuis relationibus et commercio* Congregationum modus agendi uniformis magis obtinetur, e. g. quum quis Sodalium ex altera Congregatione in alteram migrat.

4. *Communicantur consilia,* experimenta, rerum gestarum via ac ratio, ut eae res quae aliis profuerint, aliis quoque usui sint.

5. *Opera quaedam maiora* sive religionis sive apostolatus melius sic suscipiuntur, ea praesertim quae non localia tantum sint, sed totam sive dioecesin sive patriam complectantur (e. g. Congressus, opera Missionum et Exercitiorum, opera quaedam maiora doctrinae christianae, caritatis, preli et ita porro).

6. *Mutuum iuvamen* in necessitatibus *ipsorum Sodalium*, e. g. in vita sociali, culturali etc.; nam caritas Sodalium in ipsa familia Mariana incipere debet.

*
* *

Quisnam sit locus atque **relatio** confoederationis erga singulas Congregationes, breviter percurramus. Dicendum videtur:

1. Congregationibus *liberum relinquitur* foedus inire vel non inire, et si quae confoederatio iam adest, ei adhaerere aut non adhaerere; nam quaelibet Congregatio autonoma est, seu rectius: uni subiecta proprii Directoris gubernio, quem auctoritas ecclesiastica ei praeposuit. Neque e. g. Congregatio ulla nomen dare confoederationi permittitur, nisi Director id ratum habeat.

2. Dato tamen confoederationi nomine *fidelitas et honestas* postulant, ut unionem cum illa, quantum fieri potest, singulae Congregationes servent.

3. Consilium vel Directores confoederationis *nullam habent proprii nominis iurisdictionem* in singulas Congregationes sibi adhaerentes, sed solum iuvanime, consiliis, invitationibus et suggestionibus fraternis in eas influere et vim suam exercere debent.

4. Duobus tamen modis Consilium confoederationis *obligare* singulas Congregationes sibi adnexas poterit: *a*) si ipsae Congregationes per Directores aut horum delegatos obligationem acceptarint, ea quae in Concilio communi decreta sunt, in suis coetibus se exsecuturos esse, *b*) si auctoritas ecclesiastica hoc vel illud decretum confoederationis in sua ditione pro omnibus Congregationibus tamquam obligatorium sanxerit.

Accidit enim aliquando, ut Episcopi ipsi suae dioecesis Congregationes omnes, sive pacto foedere, sive secus, quoad res quasdam Consilio cuidam foederativo vel etiam uni alicui Praesidi dioecesano Congregationum B. M. V. subiiciant. Quodsi hoc fit, patet omnes Congregationes Episcopis illis subiectas morem gerere dictis oportere. Eadem ratione Congregationes in nostris templis aut Collegiis erectae a Patre Nostro dirigi possunt, etsi nullo ad id foedere icto.

*
* *

Confoederatio (ut ipsa Regula docemur) **duplex** *esse potest : omnium* (vel magnae partis) Congregationum, quae *in aliqua terra* sunt, aut Congregationum *eiusdem generis tantum*, e. g. virorum, iuventutis etc. Fieri potest, ut duplex haec distinctio simul habeatur, atque sint singulae Congregationes primum foederi generis sui adscriptae (e. g. foederationi Congregationum iuventutis), foederationes autem istae confluant simul in confoederationem quamdam universalem sive nationalem sive internationalem. Sic habentur variae foederationes in Hispania, America Meridionali, Germania etc.

Foederationes utriusque generis etiam ad *singulas dioeceses*, imo *civitates* restringi possunt. Ubi enim e. g. in maiore civitate multae Congregationes vitam agunt, magno emolumento esse solet eas inter se foederis vinculo ligari. Sic certatim labores apostolicos doctrinae christianae, caritatis, operum socialium atque imprimis religiosorum inter se dividenf, illa parte cuivis Congregationi assignata, quae singulis, natura et adiunctis rerum spectatis, magis convenerint. Talis confoederatio Congregationum localis Parochis aut aliis sacerdotibus (e. g. nostris Operariis) subsidium feret utilissimum, cuius momentum statim appareret, cum res aliqua maior per civitatem instituenda est religionis defendendae aut propagandae causa. Sic ubi conferentiae apologeticae, Missiones, Exercitia, Communiones generales, processiones, conventus manifestativi, opera preli ac similia instituenda sunt, aut egestas sublevanda communi nisu. Ipsa illa organisatio parochialis, de qua superioribus numeris tractatum a nobis est, evehi et florere tali foederatione Congregationum urbis potissimum potest, ut iam Viennae, Pragae, alibi fieri cernimus. Nec semper audiendi sunt, qui dicant, omnia ista ab aliis associationibus catholicis iam abunde praestari. Verum hoc aliquando est, saepe tamen vero simile tantum. Nam saepe associationes istae rem sibi faciendam utique sumunt, sed deinde cito fatigantur et opera ardua relinquunt. Congregatio autem eo, quod spiritum penitus religiosum atque sacrificii ferendi promptitudinem alte in mentibus colit, zelum magis constantem et indefessum animis Sodalium solet inserere.

*
* *

Qua ratione porro **praeparandae** *sint foederationes istae*, indicandum venit. Prima regula sit : *lente* esse procedendum atque *gradatim*. Nihil enim prodest theatralibus nominibus aerem verberare, fucoque similem congerere apparatum. Neque utique difficile est foedus cum nescio qua sollemnitate pepigisse ; sed hoc ipso nondum quidquam solidi aut utilis effectum est. Fiant magis *parva* prius foedera, sed operosa et assidua ; et cum laboris experta demum fuerint, coeant in coetus maiores. Quare si id nobis hodie proponeretur, ut statim internationali alicui confoederationi initia daremus, hoc desiderium certo certius nos declinaremus ; prius enim solide ubique terrarum construi huius confoederationis fundamenta et moenia oportet, quam ad tectum aut fastigium cum tholo superstruendum veniatur. Quamquam ex adversa parte concedendum est, ipsa tecta ad moenia firmanda viceversa valere et foedera (e. g. nationalia) multum conferre posse ad vigorem renovandum singularum Congregationum, imo etiam ad excitandas dormitantes.

*
* *

Iam si quaeritur, **quomodo in praxi** *ad instituendam foederationem e. g. nationalem procedendum sit*, suppositis supponendis, i. e. Congregationibus sat agilibus in illa natione, haec respondenda occurrunt.

Determinandum est 1) actionis programma, seu finis et media, 2) dein homines, 3) tandem tempus et locus institutionis.

Quod ad *programma* attinet, clare ob oculos ponendum est, quid proprie per foederationem illam obtinere velimus, quaque ex parte singula foederationis emolumenta prosequi, et quibus viis. E. g. utrum inprimis obsoletum forte nomen Congregationis repristinare, dormitantesque Congregationes expergefacere, an magis communem operationem quodammodo dirigere et ita porro. Dein quibus viis : e. g. congressibus regionalibus, foederibus singularum dioeceseon vel civitatum, edendo fasciculos vel ephemeridem de re sodalitia, aliisque modis rei propagandae ; imprimis autem Consilio quodam communi constituto ; quod duplex esse poterit : alterum *Consilium plenarium* cum omnibus Episcopis et singularum Congregationum Directoribus ac Praefectis, quod Consilium semel tantum in anno ad conventum invitetur ; alterum vero *Consilium effectivum* seu exsecutivum paucorum, qui facile etiam altero quoque fere mense convocari possint ad quaestiones discutiendas. Haec omnia varie in variis locis iuxta adiuncta ordinanda erunt.

Homines seligere quoad Consilium effectivum summi est momenti. Satis est 5 vel 7 habere, dummodo viri prudentes et operosi sint, atque in rebus

sodalitiis et apostolatu practico periti. Sint partim Directores, partim Sodales. Totius Consilii effectivi caput sit extraneus quidam auctoritate pollens, qui facile dirigi sinat consiliis optimis ; Noster quidam ordinarie Secretarii generalis vel Consiliarii spiritualis munere fungetur. Possunt etiam duo Praesides constitui : laicus et ecclesiasticus. Cum enim foederatio non sit proprie Congregatio aut associatio stricte religiosa, potest more associationum saecularium dirigi. Membra Consilii utriusque in antecessum designantur ab iis, qui conventum constitutivum praeparant et convocant ; eliguntur autem formaliter a conventu constitutivo, ordinarie per acclamationem.

Tempus et locus instituendae foederationis scite eligendi sunt, e. g. occasio optima est in congressu aliquo nationali Congregationum. Prius certe Episcoporum beneplacitum erit exquirendum. Tum desiderium talis foederationis in Congregationibus maioris momenti excitandum, eo magis, quod (ut sumus homines) id fere diligentius prosequimur, quod e nostro quoque consilio et actione natum est. Sic bene praeparata terra facilius ad instituendam ipsam foederationem venitur. Coactis itaque in congressum Congregationibus omnibus, res ab oratore dextere proponitur, emolumenta evolvuntur, modus procedendi commendatur. Acclamant omnes, rem acceptant, consilia sua et opinionem singuli dicunt. Edicitur foederationis constitutio, proponuntur statuta, programma, homines eligendi. e. g. ad biennium. Figitur locus et statuitur officium quoddam, quo omnes venire vel litteras mittere possint. Et foederatio vivere incipit.

Sapiens foederationis Director vel Secretarius curabit, ut statim ab initio foederatio aliquid serii faciat, quo omnibus pateat eius necessitas et utilitas. Dimidium facti, qui bene coepit, habet. Sed *dimidium* tantum. Curandum igitur est, ut foederatio invicte agere pergat nec quiescat, donec omnia quae potest emolumenta capessat.

TELEPHONIUM EDITORIS

P. **P. H.** Lamentatur R. V. in suburbibus illis magnarum civitatum, ubi operarii potissimum vivunt, atque templorum paucitate homines ab exercenda religione diu arcebantur, difficillimum esse frangere indifferentiam religiosam. Ait se cum adolescentibus rem aggredi, institutis societatibus sportivis et recreatoriis inter eos. "Sed heu, inquit R. V., adolescentes manent apud nos usque ad annum 14 vel 15.mum, dein avolant a nobis. Sic frustra laboramus". — Hecce quoties querelae similes audiuntur! Sed nonne inveniri causa potest, qua omnes isti labores fructu priventur? Nimirum societates recreatoriae bonae sunt ad primum gradum faciendum, seu ad gelu frangendum; nec tamen per se satis sunt ad solidam aedificationem construendam. Hic iacet momentum practicum Congregationis. Haec enim inter meliores iuvenes instituta indifferentismum prorsus ac radicitus evellit, ut experientia et usu tam saepe docemur; iacto enim alto fundamento religionis et zeli apostolici firmius stabit totum id, quod superstruitur. Cur igitur non transimus ad Congregationem instituendam? Utique timor quidam nos saepe ab hoc gradu retinet. Sed sine causa. Vix enim quemquam, qui hoc tentavit, spes fefellit.

De apostolatu preli

II

Quodsi nunc modum, quo sua potestate utitur prelum modernum, propius examinamus, applicare imaginem apocalypticam (cum P. Victore Kolb) poterimus ad indolem preli huius illustrandam : " *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem et cornua decem et super cornua eius decem diademata, et super capita eius nomina blasphemiae... Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam... Et admirata est universa terra post bestiam. Ed adoraverunt draconem... et adoraverunt bestiam, dicentes : Quis similis bestiae? et quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna et blasphemias... Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius et tabernaculum eius... et est datum illi bellum facere cum Sanctis, et vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum et populum et linguam et gentem ; et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram...* " (Apoc. 13, 1-8).

Revera, malum prelum bestiae huic est simile, cui splendor apparens et magna potestas data est super homines, quaeque hac potestate vehementissime utitur ad pugnandum contra Deum et tabernaculum eius, id est Ecclesiam, et Sanctos, id est fideles et pastores. Atque homines, proh dolor, credunt ei, aestimant et amant bestiam, obcaecantur splendore eius, neque animadvertunt eam inimicissimam sibi salutique publicae esse. " Admirando " currunt post eam, et sic vere " data est illi potestas in omnem tribum et populum et linguam et gentem ; " atque " adorant eam omnes, qui inhabitant terram ". Hoc veirssimum esse brevi oratione age evincamus.

2. Prelum malum primo *fidem et religionem destruit.*

" Fides ex auditu ", Scriptura inquit, sed aeque verum est : infidelitatem ex auditu oriri doctorum perversorum. Iam hi hodie scriptis inprimis libris et maxime ephemeridibus impiis homines pervertunt, fidem eis adimunt. De rebus fidei tamquam de nugis loquuntur, mendaciis aut puerili illusione ; philosophiam modernam reique catholicae insectatores extollunt ; rident sacramenta et caerimonias nostras ; fidem simplicitatem vocant, scepticismum sapientiam. Negant Ecclesiae iura in regendas animas, ordinandi res sacras e. g. matrimonium, intolerantiae eam accusant, Episcopos, Sacerdotes, Religiosos ipsumque S. Pontificem pro fraudatoribus vel viris fatuis habent. Neque semper aperte religionem aut clerum impugnant, sed subdola quadam dexteritate pravam nocendi voluntatem celant. Homines autem, qua sunt simplicitate, saepe ne advertunt quidem venenata religioni tela parari,

atque etiam Catholici non raro prelum illud antichristianum emunt et legunt.

Ut exempla quaedam adducam: Omnium memoria haeret, quo clamore diurnales innumeri per menses et annos impiissimum illum ac sceleratissimum virum *Ferrer* vindicaverint, in cuius punitione libertatem conscientiae confectam esse et " reactione clericali " oppressam dictitabant. Simili quodam modo Iudaeum illum *Dreyfus* defendebant ac defendunt hodiedum; cuius causa cum pro tribunali in Rennes ageretur, unica ephemeris " Chicago Tribune " cotidie ad 300.000 verba telegraphice sibi mandari iussit; estque calculo posito statutum in unius huius iudaei favorem plura scripta prodiisse infra aliquot annos, quam de Iesu Christo per omnia saecula adhuc prodierunt. De inquisitione hispanica, de " obscuro " aevo medio, de tormentis tribunalium papalium, de corruptione sacerdotum constanter suas fabulas recoquunt; quid autem Ecclesia pro pauperibus, aegris, operariis, orphanis egerit, quot Cathedralia, Universitates, nosocomia erexerit, quas artes coluerit, quomodo fundamenta omnium fere scientiarum iecerit, quot gentes ad civilem vitam educaverit, id quidem altissimo silentio praetereunt. Extollunt beneficentiam Protestantium et Francomurariorum, reticent heroismum Religiosarum et Missionariorum nostrorum. De theatris, choreis, libris obscoenis tamquam de apice culturae humanae balbutiunt; de summa illa cultura morali, qua Ecclesia homines imbuit, tamquam de propagine obscuritatis et expansione servitutis intellectualis cum contemptu garriunt.

Quaeris, undenam tantum odium in Ecclesiam ac sacerdotes inter millenos homines, maxime inter operarios, scaturiat? Undenam contemptus verbi Dei, desertio templorum, malae suspiciones erga omnes Catholicorum conatus, tanta negligentia Sacramentorum, tot dubia in fide, tot falsae opiniones de religione, tanta ignorantia veritatis christianae ac meritorum Ecclesiae? Vide, quidnam innumera hominum multitudo legat, quos doctores cotidie audiat, quorum consilio utatur, et miraberis fortasse, quod fides et Ecclesiae aestimatio non etiam magis adhuc aboleverit.

2. Prelo malo deinde *mores christiani corrumpuntur.*

Praetereo narratiunculas inhonestas aut obscoenas, quarum adulterium et amores impuri sunt argumentum perpetuum. Praetereo directa incitamenta ad peccandum, ubi e. g. perversa consilia lectoribus dantur. Sed vide, qua arte ephemerides illae omnia homini illuminato licere praedicent, quomodo summum bonum vitae in voluptatibus et divitiis esse regerant. Vide, quam dextere materialismo atque hedonismo proludant, quam radicitus ipsa fundamenta morum christianorum divellant et evertant. Vide, quomodo de femina tractent, de matrimonio, de familia, de liberis habendis vel non habendis; quomodo castitatem aut nocivam iuvenibus aut naturae impossibilem et ridiculam vocitent. Vide, quomodo contra auctoritates legitimas exsurgere pro laude sumant, quomodo odia gentium atque classium inter se data opera foveant. An mirum est, quod plurimi iam a pueris malarum ephemeridum ac libellorum lectione non virtutem solam, sed virtutis etiam sensum et aestimationem penitus perdunt? Quod petulantiam et effrenatam licentiam prae se ferunt viri ac mulieres: in modo se vestiendi, in colloquiis, in choreis, in theatris? Quod ad omnia subvertenda nituntur? Quod vitam agunt pessimam? Sed ecquid aliud homines cotidiana ephemeridum lectione docentur? Numquid fructus boni e pestifera arbore oriri possunt?

3. Prelum malum porro ipsi *felicitati vitae temporalis populi christiani obnititur.*

Ephemerides ac diurnalia ista maximam partem simplicis *negotiationis* instrumenta sunt, quibus homines parum christiani vel iudaei utuntur ad lucrum facilius faciendum. Instituta pecunialia ac commercialia non solum saepissime corrumpunt ephemerides, sed etiam saepe coemunt eas, ut ope illarum in lectores influant et eos propter suam utilitatem seducant. Nec tantum merces suas (saepe suspectas) commendando, sed etiam informationes divulgando (saepe omnino falsas), quibus rapaces suas machinationes tamquam condicionem necessariam oeconomiae publicae dilaudent, vel aliis modis in res oeconomicas influant cum plurimorum civium damno, sed suo emolumento. Quot homines in speculationes falsas hoc modo abrepti pecuniam suam perdiderunt! Quot latrones sic publico aere ditati sunt! Populus saepe ne animadvertit quidem, actionem aliquam oeconomicam, politicam, scientificam ideo proprie laudari vel vituperari ab ephemeride sua, quod inhonesti alicuius negotii auctores pecunia ephemeridem corruperunt, ut lectores fraudari sibi liceret. Tantumque hoc momentum negotiationis secretae in prelo moderno excrevit, ut aliquis scriptor hanc definitionem diurnalis moderni dare non dubitaverit: " est carta impressa, quae propter suas negotiationes et annunciationes *etiam* textum praebet ". Quasi dicere velit, non textum seu articulos ac nuncios esse id, propter quod ephemeris edatur, sed negotia clam per eam promovenda.

Quodsi loco verae pacis socialis, publicae salutis, tranquillitatis vitae ac securitatis invalescunt pauperies, miseria, exacerbatio plurimorum, ingentibus divitiis in paucorum hominum manus confluentibus: scire oportet, in hac expugnatione et spoliatione plurimorum ad lucrum paucorum efficiendum prelum hodiernum esse primarium latrocinii moderni socium.

4. Neque quidquam hactenus dixi de corruptione illa, qua prelum modernum ipsam *vitam et pacem gentium* paucorum aut cupiditati aut odio subiicit. Bella ultimorum temporum omnia radicitus ex his passionibus sunt orta. Sed pauci illi populorum

instigatores nihil fere obtinuissent, nisi per venale prelum odia sua ac cupiditatem in totam gentem suam prius diffudissent? Omnis populus per se pacificus est; sed de industria omnes excitati atque odio infesto inflammati erant alter contra alterum, idque prae ceteris ope diurnalium. Exempla citantur mutati omnino sensus huius illiusve gentis, postquam in ea ephemerides ab hoc vel illo belligerente emptae et corruptae sunt. Unde tristem omnino servitutis modernae imaginem habes: centena milia hominum pacem, prosperitatem, ipsam vitam perdiderunt, quia prelo seducti et inflammati bellum necessario sibi gerendum consuerunt. Quot mendacia, quot calumniae, quot fraudes in hac re adhibebantur! Et quanta erat virorum etiam eruditorum dementia, omnes istas fraudes pro candida veritate acceptantium! Decem milionibus hominum occisis quidnam populi lucrati sunt? Omnes fere miseriores facti sunt, sola speculantium coniuratione excepta, quae catervas cadaverum humanorum hecatombarum instar construxit, totamque Europam et Americam incendit, ut cupiditati suae atque odio fomitem daret ac rapinam.

5. Nec dixi quidquam de incredibili illo *bello classium intestino* atque revolutione perpetua, qua praesertim socialistae pacem et ordinem publicam evertunt. Numquid obtinere hanc operariorum perversionem potuissent, nisi innumeris scriptis libellis et diurnalibus odia eorum contra alias hominum classes et maxime contra religionem sine intermissione inflammarent?

Nonne recte dixi prelum modernum magna ex parte vim quamdam esse vere diabolicam, qua homines fidem, mores, felicitatem, pacem perdant et in miseriae omne genus abripiantur abyssum?

Et tamen homines nihil advertunt, nihil timent, quiete et plena fiducia ephemerides suas lectitant, imo eas pecunia sua adiuvant et augent, atque sic ipsi alunt bestias, a quibus dilacerentur, ipsi fossam fodunt, in quam decidant, ipsi flammas confovent, quibus felicitas vitae suae acerbissime conflagret.

Ne tamen putes haec a nescio quo homine fanatico tantum excogitari, audi ipsum *Leonem XIII*, qui mali preli pericula simul atque Catholicorum in hac re officia sic complectebatur:

" Deinde vero permagni refert *publicari et longe lateque fluere salubriter scriptis*. — Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis decertare iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentae et iniquae ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet! Quidquid est proximis his annis per seditionem et turbas gestum, iure gestum esse defendunt, dissimulant aut adulterant verum: Ecclesiam et Pontificem Maximum quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt: nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Huius igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit. Praeterea *scripta scriptis opponenda*, ut ars, quae potest plurimum ad perniciem, eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur atque inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur. — Quam ad rem optabile est, ut saltem in singulis provinciis ratio aliqua instituatur demonstrandi publice, quae et quanta sint singulorum Christianorum in Ecclesiam officia, vulgatis ad id scriptionibus *crebris*, et quoad fieri potest, *quotidianis*.

Imprimis autem sint in conspectu posita religionis catholicae in omnes gentes praeclara merita; explicetur oratione virtus eius privatis publicisque rebus maxime prospera et salutaris; statuatur quanti sit, celeriter Ecclesiam ad illum dignitatis locum in civitate provocare, quem et divina eius magnitudo, et publica gentium utilitas vehementer postulat. — Harum rerum causa necesse est, ut qui animum ad scribendum appulerint, *plura teneant:* videlicet idem omnes in scribendo spectent: quod maxime expedit, id constituant iudicio certo et efficiant; nihil ex iis rebus praetermittant, quarum utilis atque expetenda cognitio videatur; gravitate et moderatione dicendi retenta, errores et vitia reprehendant, sic tamen ut careat acerbitate reprehensio, personisque parcatur; deinde orationem adhibeant planam atque evidentem, quam facile queat multitudo percipere. — Reliqui autem omnes, qui vere et ex animo cupiunt, florere res et sacras et civiles ingenio hominum literisque defensas, hos literarum ingeniique fructus tueri *liberalitate* sua studeant. — Et ut quisque ditior est, ita potissimum re fortunaque sustineat. Iis enim qui scribendo dant operam, omnino afferenda sunt huius generis adiumenta, sine quibus aut nullos ipsorum industria habitura est exitus, aut incertos et exiguos. — In quibus rebus omnibus si quid nostris hominibus incommodi impendet, si qua est dimicatio subeunda, *audeant tamen sese obvios ferre*, cum homini christiano nulla sit adeundi vel incommoda vel labores caussa iustior, quam ne lacerari ab improbis religionem patiatur. Neque enim hac filios lege Ecclesia aut genuit aut educavit, ut cum tempus et necessitas cogeret, nullam ab iis opem exspectaret, sed ut singuli eorum otio privatisque utilitatibus salutem animarum et incolumitatem rei christianae anteponerent". (*Encycl. ad Episcopos Italiae*, De mediis fidei apud populos conservandae opportunos, 15 febr 1882).

Alio etiam loco Leo XIII haec habet:

" Tertium denique genus, in quo curas vestras oportet assidue versari, earum rerum est, quae mandatae litteris in singulos dies aut statis temporibus in lucem prodire solent. Nostis tempora, Venerabiles Fratres; ex altera parte rapiuntur homines inexplebili cupiditate legendi; ex altera ingens prave scriptorum colluvio licenter effunditur; quibus caussis vix dici potest quanta labes honestati morum, quanta religionis incolumitati quotidie ruina impendeat. Itaque hortando, monendo, omni qua potestis ope et ratione perseverate, ut facitis, ab istiusmodi corruptis fontibus homines revocare, ad salubres haustus reducere. Plurimum iuverit, si cura ductuque vestro diaria publicentur, quae malis venenis undecumque oblatis opportune medeantur, suscepto veritatis, virtutis, religionis patrocinio". (*Encycl. ad Episc. Lusitaniae* 14 sept. 1886)

(Continuabitur).

De B. Canisio et " Ave Maria "

Quaestio : estne verum, Canisii nostri opera alteram partem mediam precationis Ave Maria, incipiendo a « Sancta Maria, mater Dei » usque ad finem, a Canisio nostro perque eius Catechismum universim receptam esse et in usum deductam, cum antea solum prima pars generatim recitata fuisset ?

Responsum : P. O. Braunsberger, rerum Canisianarum expertissimus, haec nobis de ista re scribit :

B. Canisius iam in prima editione Catechismi (Summa Doctrinae Christianae, Viennae Austriae 1555) salutationem angelicam finit ita : *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis, peccatoribus, amen.* Item in editione correcta Coloniensi 1566. Inde putabatur huius clausulae auctor. Quod quidem non est accurate putatum. Verum certe est, populum generatim primis decenniis saeculi XVI Ave finivisse salutatione Elisabethae, addito tantum nomine Iesu et *amen.* Sic e. g. Agendarum liber Salisburgensis iussu Archiepiscopi Michaelis de Kuenburg 1557 denuo editus Ave terminat sic : *fructus ventris tui Iesus Christus, amen.*

Aeque ac Canisius finit Ave iam S. Bernardinus Senensis († 1444). Carthusiani hanc eandem clausulam habent 1521 in suo Breviario (ed. Parisiensi), item decreta concilii Narbonensis 1551.

Vocabula autem *nunc et in hora mortis* (sine *nostrae*) habentur in Breviariis Mercedariorum et Camaldulensium (1515). Item in decreto Archiepiscopi Moguntinensis Bertholdi de Henneberg 1493, erantque probabiliter iam antea nota.

Hodierna forma sancivit salutationem angelicam adhibendam esse *S. Pius V* 1568 in nova editione Breviarii. Inde editiones hoc tempore posteriores Catechismi Canisiani ad hanc formam correctae sunt (1571, 1572). Iam 1569 P. Petrus Busaeus eandem (recentem) formam exhibuit in opere catechistico " Authoritates Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum ", ubi locos a Canisio solum indicatos in extenso citavit, quod Canisio perplacuit.

Viennae anno 1569 sic orabatur : *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus.* In magno suo opere Mariano Canisius (Ingolstadt 1577) longe defendit salutationem angelicam, nec tamen in fine quidquam habet de his : *nunc et in hora mortis nostrae.* Imo ne in altera quidem editione (1583). In synopsi latina concionis germanicae in Cathedrali Augustana 25 Martii 1560 habitae Canisius, postquam salutationem angelicam commendavit, haec habet : " Sed dices, non est tantum laus Mariae, nec ullum esse verbum, quod ad orationem spectet. Fatemur verba non sonare quasi essent oratio. Sed... nonne oramus Psalmos ? Sed in his quam multi sunt, in quibus nihil petatur, sed Deus tantum laudetur... Vis habere orationem : adde cum Ecclesia Romana : Sancta Maria, mater Dei etc. ".

Dici igitur potest cum Binterim (Denkwürdigkeiten der christ-kath. Kirche, VII Mainz 1831, 129), Canisium Catechismo suo potissimum ad id contribuisse, ut additio supplicatoria quoad primam certe partem in Ave Maria universali usu recepta sit.

QUAESTIONES PRACTICAE

Ad RR. PP. Promotores et Zelatores Congregationum per singulas Provincias. Cum Secretariatus noster Centralis pro Congregationibus Marianis institueretur, id nobis ob oculos versabatur, ut Nostri quam maximo cum zelo et amore in Sodalitates Marianas instituendas et evolvendas incumberent, et de recto modo eas gubernandi magis magisque se edocerent. Ob hunc finem initium datum est periodico " Acies Ordinata ", in eo non sine fructu iucundo adhuc laboratum esse innumeris epistulis Nostrorum ostenditur.

Sed non minoris momenti ac Secretariatus hic Centralis apparuit, ut etiam in singulis nationibus vel Provinciis singuli Patres Secretarios agerent nationales seu provinciales, quorum esset ex una parte Secretariatum Centralem de rebus eventibusque ac necessitatibus Congregationum edocere, ex altera parte vero ea, quae a Secretariatu Centrali commendantur et urgentur, modo magis propinquo et particulari in usum deducere seu ut deducantur urgere omni quo possunt modo, utique non iubendo, sed invitando, suadendo, cohortando, rogando. Sic demum finem nobis propositum obtinere poterimus, si hi Secretarii seu Promotores Provinciarum laborem nobiscum assidue contulerint.

Quare ut imprimis inter Promotores et Secretariatum Centralem nexus arctius stringatur, rogare iterum iterumque audemus Promotores Congregationum, ut de sua quisque Provincia ad Secretariatum Centralem scribere aliquoties per annum velint.

Quaestiones quae occurrunt, esse poterunt e. g. : 1) utrum Congregationes in illa Provincia floreant, an potius tepescant, 2) utrum " Acies Ordinata " legatur et fructum afferat, an circa eam quidquam a PP. desideretur, 3) num consultationes NN. Directorum sive in singulis maioribus domibus sive in tota simul Provincia habitae sint aut saltem parentur, 4) num caveatur, ut Sodalitates non tantum societates precatoriae sint vel etiam recreatoriae (apud pueros), sed praeter solidae pietatis ac religiosae instructionis etiam apostolicorum operum exercitationes strenue suscipiantur, seu Sectionibus institutis seu aliter, 5) num consulatur perseverantiae Sodalium in Congregatione, etiam postquam hi locum vel statum vitae mutarunt, 6) num externis quoque Directoribus apta consilia dentur circa institutionem ac rectum regimen Sodalitatum, et num ephemerides sodalitiae adsint et utili modo ad Congregationis spiritum fovendum concurrant ? Et si quae alia sint huiusmodi.

Certe eiusmodi nunciis ad nos missis labor Centri nostri non tantum levior, sed etiam utilior reddetur. Quare in antecessum omnibus, qui de rebus istis nobis referent, gratias summas habemus.

Difficultas ad eosdem semper Sodales dicendi. Non adeo facile est, Director quidam scribit, eosdem semper Sodales alloqui, praesertim cum etiam in templo iidem ad conciones seu homilias tuas audiendas accurrant. Mihi quidem perdurum est praeter concionem die dominico habendam alteram homiliam pro Sodalitate componere.

Respondeo: Fortasse levior erit labor, si R. V. non adeo *orationem* seu homiliam praeparabit Sodalibus dicendam, sed magis puncta quaedam practica proponet, modo de B. Virginis virtutibus, modo de vitae spiritualis documentis, modo de apostolatu; ut exposuimus pag. 49 sqq. anni I A. O. Utique ariditas vitanda est ac monotonia quaedam, quod facilius obtinetur conversatione quadam practica, quam arte oratoria.

Imo erraret Director, si putaret in conventibus hebdomadariis semper eodem modo procedendum esse, neque conventui alium finem praeter suam oratiunculam praefigi. Aliquando enim cum varietatis causa, tum ut Sodales ad omnimodam initiativam (ut dicunt) excitentur, proderit materiam et ordinem conventus ita mutare, ut praeter preces quasdam simul recitatas aut aliquis e Sodalibus ipsis exponat rem aliquam cum religione coniunctam, discussione communi sequente, aut ipse Director materiam aliquam *disceptationi communi* portendat. Potest materia talis sumi aut ex Mariologia aliisque dogmaticae partibus (non tamen nimis difficilibus aut mere speculativis), aut ex quaestione aliqua practica morali (v. g. casum aliquem conscientiae concretum proponendo) vel liturgica (e. g. ante hebdomadam sanctam) vel ex historia ecclesiastica vel vita Sanctorum; aut poterit Director disceptationem de aliquo capite apologeticae instituere (e. g. de Pentateucho popularius, de Evangeliorum genuinitate et valore historico, de argumentis existentiae Dei, de animae spiritualitate et immortalitate, de libero arbitrio, de darwinismo, liberalismo, socialismo et communismo, de spiritismo et theosophia, de revelationis possibilitate, de miraculis, de divinitate Christi, de veritate Ecclesiae catholicae, de primatu Papae, de meritis Ecclesiae quoad civilitatem et ordinem socialem etc.). Item prodest aliquando sic dictum "*colloquium Marianum*" instituere, omnibus dicentibus, quae ad laudem sive B. Virginis, sive ad modum Illi serviendi eamque imitandi sibi inciderint. Tandem practicam de *modo apostolatum exercendi* disputationem facere omnes simul poterunt, maxime si agitur de Congregatione virorum iuvenumque. Sic praefigi e. g. thema poterit sive de modo impediendi blasphemias, sive de defendendis scholis catholicis, sive de impugnandis choreis lascivis vel de impediendis matrimoniis mixtis, sive de ephemeridibus bonis spargendis, sive de cura pauperum, de templis ornandis et mundandis, de Exercitiis Spiritualibus instituendis, et similibus: quomodo melius, facilius, efficacius fiant.

Talibus disceptationibus interiectis Sodales mirum quantum et delectari solent et ad fervorem excitari, et sic peculiari modo obtinetur finis Congregationis, ut homines selecti et bona voluntate praediti et altius in religionis cognitionem penetrent, et artem discant sua sponte atque erudite in Ecclesiae utilitatem loquendi et agendi. Attendat tamen Director, ne disputatio unquam a recto tramite discedat; suaviter corrigat errata, sub finem vero ea quae dicta sunt breviter resumat et paucis verbis hortatoriis fructum maturum appendat.

Ad augendam attentionem Sodalium iuniorum Director aliquando in ipsis suis expositionibus *methodum socraticam* adhibere poterit, interrogationibus propositis, quibus illi qui scriverint ac voluerint respondeant. Cavendum tamen, ne vel ipsi hi iuniores graventur ingrata quadam interrogandi aut perquirendi ratione, quali in schola et examinibus utimur.

Notandum est nihil obstare, quin aliquando allocutio vel instructio in Sodalitate ab alio sacerdote praeter Directorem fiat. Sic certe mos est sollemnibus diebus vel ad novos Sodales sollemniter suscipiendos Praelatum aliquem aliumve sacerdotem hospitem accersere, qui loco Directoris fungatur et orationem habeat; vel etiam aliquando ad ordinarios conventus hospitem invitare in re tunc tractanda peculiariter versatum (e. g. quando de re sociali vel de Missionibus agitur).

CHRONICA

De primis peregrinationibus Romanis Sodalitatum nostrarum. — Papa Pius XI de Congregatione Mariana.

Inter ceteros peregrinos nostri quoque Sodales Romam adventare coeperunt. Maioribus peregrinationibus sodalitiis initium dederunt Congregatio Ludimagistrarum Bavariae, quae ad 450 sacrum agmen ornaverunt duce P. *Hugger*, ac postea Congregationes Hungariae, item numero 450, ducibus PP. *Fiedler* et *Laczika*.

Utraque peregrinatio praeter solitas archibasilicarum visitationes aliaque pia opera etiam sodalitias quasdam functiones obiit, magna omnium et aedificatione et consolatione. Utraque etiam a S. Patre in audientia speciali admissa est.

Sodalitas ludimagistrarum Bavariae 17 aprilis vespere in templo S. Ignatii ad altare Annuntiatae Virginis (quo loco antiquitus sacrarium erat, ubi primos conventus sollemniores Prima Primaria egit) conventum festivum habuit, cui etiam Emmus Cardinalis Faulhaber, Monacensis Archiepiscopus intervenit. Nomine Primae Primariae et Secretariatus Centralis peregrinas Sodales P. Bangha allocutus est, postea preces et benedictio solito more actae. Postridie mane ad altare S. Aloisii, inventutis quippe Patroni, in eadem ecclesia omnes simul sacrae mensae accubuerunt, quibus P. Mitzka de SS. Eucharistia et cultu Mariano dixit, litante ad aram R. P. Assistente Germaniae Patris Nostri loco, quem laboriosioribus caeremoniis fungi tenera valetudo vetuerat. Grandi animorum laetitia sollemnitates istae acciderunt omnibus Sodalibus, atque redux Director, alta memoria repositum iri beatos dies, quibus strenuis Sodalibus ipsa cunabula Congregationis Marianae visere ac venerari licuisset.

Nec minor erat laetitia et pietas *Sodalium Hungarorum*, qui diebus 25 et 26 in Urbe, quam per aliquot dies ante viserant, Marianas sollemnitates egerunt. Inter quas duae erant inprimis memorabiles: S. Patris allocutio et sollemnis apud A. R. P. N receptio.

Summus enim Pontifex non solum paterno, ut solet, affectu Sodales illos acceperat, sed multum laetari et quasi mirari videbatur tot viros adultos cultosque Congregationi adhaerere. A Directore enim Secretariatus nostri Centralis circumductus, dum manum singulis deosculandum porrigit, iterum iterumque cum admiratione quadam repetiit: "Tanti anziani!", quod est: "tot veterani!" Et augebatur paternum eius gaudium et admiratio, cum inter Sodales ad pedes ipsius advolutos, Professores Universitatis, altosque vitae publicae administros Mariano numismate ornatos conspexisset, sat magno numero. Peculiari etiam laetita audiebat multas e Sodalium feminarum numero, ceteris studiis absolutis, theologico triennio sese ad docendam religionem in scholis praeparasse ac in Sodalitium Doctrinae Christianae pium modo constanti confluxisse. Cum Summi Pontificis allocutio peculiare fortasse momentum in commendanda et dilaudanda Congregatione Mariana habeat, partem eius principalem fere ad verbum transcriptam et ex italico idiomate translatam hic apponere iuvat. Pius XI igitur haec fere inquit:

"... Maximopere autem illud vehementer gaudemus, quod Sodales Congregationum Marianarum coram videmus, nec vos tantum, sed etiam omnes illos, quorum imaginem vos exhibetis quosque quasi visione quadam pone humeros vestros conspicere videre Nobis videmur. Gaudium non mediocre atque consolatio Nos commovet, nam bene scimus, Congregationes Marianas tam in Hungaria quam aliis in regnis eximie de re catholica mereri. Versatur nunc Nobis ob oculos, quidquid boni Congregationes istae praestant, tam in sanctificatione singulorum propria, quam in operibus apostolicis. Versatur Nobis ob oculos, quidquid boni praestatis quoad prelum catholicum et veritatem per scripta propagandam; quidquid deinde agitis in doctrina christiana elucidanda pueris. Versantur Nobis ob oculos animae illae nobiles inter vos, quae ut ad tam sanctum opus dignius se praepararent, curriculum fecerunt non solum religionis altiorem, sed propriorum quorumdam studiorum theologicorum.

"Maxime autem delectamur tam magno numero Sodalium adultorum, virorum imprimis saecularium, qui tamquam veterani Sodalibus adolescentibus exemplo praeeunt ac docent eos, quomodo et civilibus et religiosis officiis defungendum sibi sit. Gaudemus porro, quod Sodales ex operariorum condicione hic praesentes conspicimus, nam istiusmodi Sodalitatibus peculiare momentum hodie est. Omnes igitur vos et eos, quos praesentes Nobis quodammodo redditis, amanter adhortamur, ut opere et exemplo in fines Sodalitatis Marianae adipiscendos incumbatis, maxime sub sapientissimo ductu Patrum Societatis et in spiritu ab his inspirato. Peramanter igitur benedicimus cum vobis ipsis tum Sodalibus, quorum personas geritis...".

Quibus verbis evincitur, Summum Pontificem Pium XI, aeque ac praedecessores eius, plurimi aestimare Marianam Congregationem, sanctitatis et apostolatus scholam, esseque alienum ab illorum mente, qui ipsum in actionis catholicae palaestra omnia ab associationibus modernis exspectare autumant. Quare documenti instar brevis oratio, quam exhibuimus, nobis praesto erit.

Postero die in templo Collegii Germanici et Hungarici R. P. van Oppenraij Missam cum Communione generali Sodalium habuit, deinde vero *Pater Noster* in atrio Collegii Sodales benignissime excepit, inter quos festivo instrumentorum musicorum fragore circumdatus et ab oratoribus latine dicentibus salvere iussus erat. Cohortatur Sodales Pater Noster: non dimittant animum in adversis; persuadeant sibi tum demum patriam renatum iri, cum veri patriotae religioni ac Beatissimae Virgini more antiquo venerandae totos se dederint; collaudat zelum apostolicum, quo fervere Sodales in ista terra perbene sciat; meminerint in eo esse situm Marianae Congregationis momentum ac valorem, ut veros Christianos fingat, qui id, quod credunt ac dicunt, opere quoque ac vita exprimant.

Exspectantur nunc aliae Sodalitatum peregrinationes: Germanorum, Polonorum, Belgarum, Hispanorum, Americanorum. Quibus ut omnia bene eveniant, optamus.

Sodalium Germanorum conventus tempore canonisationis B. Canisii habendus. Opera Patrum Nostrorum Germaniae Inferioris sollemnis conventus instituetur Sodalium Marianorum tempore, quo ad canonisationem B. Petri Canisii obeundam plurimi illorum in Urbem confluent. Ordo autem sollemnitatum hic fere erit:

Die 21 Maii, quo ipsa canonisatio in basilica Vaticana obitur, vespere hora 6 in templo nostro *al Gesù* dicto concionem dicet Cardinalis Schulte, quam benedictio et Te Deum sequetur, interveniente choro cathedralis Ecclesiae Coloniensis.

Die 22 Maii hora 7.30 in templo S. Ignatii Communio generalis instituetur.

Hora 11 in aula magna Collegii nostri "Massimo" Directores ac Praefecti Congregationum consultationem habebunt, praeside Cardinali Piffl.

Hora 6 vespere in aula Collegii Germanici et Hungarici sollemnis conventus erit Sodalium, ad quos orationem habebunt Cardinalis Faulhaber et Praelatus Seipel, ex-cancellarius Austriae.

Libentissime invitantur etiam aliarum nationum Sodales, ut si volunt his festis interveniant.

Palermo *(Sicilia)*. In Collegio nostro "Gonzaga" appellato simili titulo ephemeris sodalitia prodire hoc anno coepit, qua edocemur vitam sodalitiam strenue agi in isto Collegio, variasque Sectiones esse institutas. Vivant et floreant!

Zagreb (*Croatia*). Anno 1925 ineunte nova Congregationum ephemeris croatico idionate scripta prodire coepit, cui titulus "*Vjesnik Marijnih Kongregacija*". Nostrorum cura editur sexies per annum, redactoris officio fungitur P. L. *Dostal*.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Tribuna di Campitelli, 24